

**Epistola gratulatoria qua thermarum et acidularum idolum medicum destruit, et circumspectum atque peritum harum usum commendat / insimul Philippo Hardtmutho Gaertnero ... gratulatur Michael Alberti.**

### **Contributors**

Alberti, Michael, 1682-1757.  
Gärtner, Philipp Hartmut.

### **Publication/Creation**

[Halle] : Litteris Christiani Henckelii, 1713.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vgp2c8bn>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

EPISTOLA GRATULATORIA

*QUA*

**THERMARUM  
ET ACIDULARUM IDO-  
LUM MEDICUM DESTRUIT,  
ET  
CIRCUMSPECTUM AT-  
QUE PERITUM HARUM USUM  
COMMENDAT.**

INSIMUL

*VIRO JUVENI*

NOBILISSIMO PRÆSTANTISSIMO ET DOCTISSIMO,

**DN. PHILIPPO HARDT-  
MUTHO GÆRTNERO,**

MEDICINÆ CANDIDATO DIGNISSIMO

*AMICO SUO DILECTISSIMO SUAVISSIMOQUE*  
**DE MITRA DOCTORALI**

*five*

**SUMMIS IN ARTE MEDICA DIGNITATIBUS,**

*QUAS*

PRÆMISSA DISSERTATIONE INAUGURALI

*DE*

**FONTIUM SALUTARIUM USU  
ET ABUSU**

RITE ET FELICITER ASSEQUITUR,

ANIMATUS GRATULATUR

**D. MICHAEL ALBERTI,**  
PROF. PUBL. EXTRAORD. REIPUBL. NORIB. PHYS. ORD. ET ACAD. NAT.  
CURIOS. COLLEGA.

NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. MICHAEL ALBERTI.



Rectè sane atque perite de utili & noxio adminiculorum medicorum usu differit *Hippocrates in Libro de arte*: quæ profuerunt, ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id quod non recte usurpata sunt, nocuerunt; quo eloquio salutarem auxiliorum applicationem, recto usui, i. e. congruæ, tempestivæ, opportunæ, methodicæ oblationi adscribit: eoque ipso implicite methodum, ut animam Praxeos, extollit atque commendat: Neque hæc solum Senex profitetur, sed ipse communis rerum humanarum usus comprobat, atque observatio, quomodo optima, quamvis ita dici solita, medicamina, pessimam æstimationem promereant, si inopportune, indiscretim & intempestive injungantur, siquidem Clava Herculis, non nisi in manibus Herculis valere potest, & remedium quoddam artificis, peritam atque prudentem ordinationem postulat, tanto magis cum secundum generalem acceptionem & interpretationem nihil salutare aut noxium dici queat, nisi ex recta & convenienti, & aliena atque præpostera applicatione. Valent hæc de efficaci, securo & salutari usu, aquarum tam medicarum quam simplicium aliarum, unde *Hippocrates*, aut si quis alius author credatur librorum, *de dieta*, *de aeribus*, *aquis locis*, accuratam aquarum discretionem & ordinationem commendat, quamvis pressè neque *Hippocrates*, neque *Galenus* de fontium, nobis salutarium dictorum, usu quicquam, quod desideriis nostris sufficere possit, commemorent, attamen non obliviscuntur, arte factarum talium aquarum vel acidularum, vel sulphuratarum, vel balneorum, vel potulentorum medicorum, etiam naturalium, ubi *Hippocrates lib. de aer. aquis & loco* *Idæa*, & *lib. 5. Epid.* iterum calida balnea allegat, ne dicam de aliis parallelis textibus in *Libr. de vict. rat. in acut. de morb. popular. occurrentibus*. Non animus mihi jam est in generalem aquarum commendationem conscribendam consentire, sed brevissimis

gene-

*generalem abusum thermarum & acidularum* denotare, atque succincte præmonstrare, qua meliori ratione fundetur verus atque sincerus usus harum aquarum. Haud cum injuria idolum appellavero, commune illud & hodiernis moribus accommodatum refugium ad has aquas, quemadmodum vulgare illud hominum præjudicium emanantes tales fontes majori cum veneratione prosequitur, ac olim Judæi piscinam Bethesdam, ab angelo descendente agitari & turbari solitam colere sueverunt: unde multi ad thermas & acidulas, tanquam ad sacram anchoram, & ultimum adminiculum credule & præcipitanter confugere assolent; quasi evalescente omni residuo alio auxilio, hîc spes atque adminiculum quoddam extremum superfit, quo deludente tandem nihil aliud remaneat, nisi vel specificorum usus, vel Panacearum oblatio, vel universalium, si quæ dantur inquisitio, & credula atque superstitiosa applicatio, ex quo ad minimum conscientiam salvari posse, non pauci augurantur, quasi, si omne possibile ex humana arte profluens, adhibitum fuerit, & tunc neutrum horum opem exoptatam tulerit, in nullum forte Medicum culpa conjici possit; inde illæ exclamationes atque vindiciæ: Man hat alles gebraucht, was menschlich und möglich gewesen ist. Er ist im warmen Bad gewesen, hat den Sauerbrunnen getrunken, & quid non aliud: ex quali multiplicato & implicato tentamine non inique *Agricola de vanit. scient.* imperitos redarguit, insuperque monstrat, quam præceps sit animus in saltu ab uno inefficaci ad alterum, & quam temerarius sit in experimentandi, & accelerandi mortem lubidine. Ex eo demonstratu difficile non est, quomodo vulgo huc usque thermæ atque acidulæ pro idolo quodam medico celebratæ fuere, quamvis sine tanto, ne dum tam multo fructu, ut quidem perperam vel creditum, vel traditum unquam fuit. Accidit quandoque, ut ipse artifex patientem suum sub multa spe atque magno corde, ut dici potest, ad thermas & acidulas comitetur, sed rubore suffusus, solus vivus revertatur, deinde vero quandoque, uti *Hippocrates in lib. de veter. Med.* etiam indicavit, in inconvenientem balnei usum omnem culpam transferat, ut suam famam vel leviter defendat, & nunc in exanimatum patientem, cujus defensionem obitus præscidit, omnem errorem

conferat. Evenit etiam ut Chronico morbo graviter detentæ-  
grotantes & Practicis multum laboris facessentes, ex proprio in-  
stinctu atque jussu quorundam Medicorum ad fontes tales dele-  
gentur, & quidem tunc demum, quando pharmacia suum adju-  
mentum denegat, quando adstringentia, volatilia, Opiata, edul-  
corantia, indiscretim evacuantia, roborantia, nervina, analeptica  
frustra aliquandiu adhibita fuere, tunc inquam evenit, ut curæ hu-  
jus tam laboriosæ, tamque inefficacis pertæsi, patientem, si non  
deserant, aut deserere videantur, tamen dimittant, & cum mul-  
tis elogiis scaturiginum salutiferarum & benedictionibus patien-  
tem miserum ad thermas ablegent, secundum illud vulgare:  
Wann wir der Kranken haben satt, so schicken wir sie ins Karls-Bad,  
drausbringen sie eine schöne Frucht, zu deutsch genannt die Wassersucht.  
&c. Sunt etiam quidam homines ita creduli, alii otiosi, alii plane  
luxuriosi, (*confer. Wedelii diss. de Thermis*) ut fontes tales visitent  
vel confirmandæ sanitatis causa, vel præservandæ immunitatis  
vitalis gratia, vel augmentandæ sanitatis loco, vel recuperandæ  
nescias cujus alterius utilitatis causa, secundum illud hilffts nicht,  
so schadets nicht. Sed utinam petulans talis aquarum usus non no-  
ceret, si proficere neque potest, neque debet. Aliqui ita su-  
perstitiosi atque creduli sunt, qui facile tropicis talium aqua-  
rum commendationibus annuunt, & ex fontibus hisce hoc sen-  
su idolum conficiunt, quasi, quia è gremio terræ eructant atque  
erumpunt, necessario τὸ Θεῶν continere, & divinas virtutes præ-  
stare soleant, aut debeant; cum contra quotidiana & simplex ex-  
perientia & observatio confirmet, quomodo cæca & mortua hæc  
fides deludatur, imo cito iterum evanescat, quam primum de-  
prehendit, quid sit sanari per *accidens* & *simpliciter*, *equivocè*  
& *univoce*, è *fundamento* & *palliativè*, quo accedit notitia dicti,  
*de omni*, & *de nullo*: quæ singulæ circumstantiæ, si ad usum &  
utilitatem thermarum & acidularum transferantur, & applicen-  
tur, facile liquebit, quantum illis fidere referat, deceatque. Ite-  
rum alii ita tenaciter fontium horum usibus toti veluti immerfi  
sunt, ut frivole afferant, quasi hæ aquæ singulis affectibus mede-  
ri debeant, adeoque omnem fidem atque fiduciam in easdem  
collocent, posthabitis aliis salutaribus & magis convenientibus  
admini-

adminiculis; quod præcipue illi committere solent, qui in vicinia talium scaturiginum degunt, adeoque easdem plenis buccis extollunt, atque declamant, & tali præjudicio hoc idolum venerantur. Sunt porro qui indiscretim hisce aquis utuntur, & curatoriam æque atque præservatoriam earundem virtutem de prædicare sciunt, omnemque panopliam medicam in iisdem quærunt, & promittunt, sed qua cum certitudine, iterum experientia attenta indicat. Dantur præterquam, qui hisce aquis longe majores, digniores, & uberiores virtutes adscribunt, quam qualibus sese efficaces atque præstantes unquam comprobarunt: hoc enim prohi dolor hodie & scribendi, & pingendi, & fingendi cacoëthes viget, ut, si res quædam aliquo modo utilis deprehenditur, plures vel effectus ipsi adscribantur, vel plures exinde urgeantur, & infatiabili modo desiderentur, vel plures etiam ipsi affingantur, quod perniciosum & abominabile damnum premit nostram materiam medicam à multis jam temporibus, ut propterea medicina opus sit, per quam materia medica repurgari, & certior reddi queat. Idem fatum subiere thermæ & acidulæ, quæ nonnunquam vix fere recte emanarunt, tunc confestim volumina elogiorum & incomparabilium laudum de iisdem declamantur, quandoque non tam in commodum illorum, quibus hæc nosse interest, sed illius, qui talia luci & publico commendat: unde rectius *Fallopins de thermalb. aquis* scripsit, quod non propterea profluant, ut omnibus mederi debeant, sufficiat, si aliquibus affectibus curandis, inserviant, quo ipso ab universali talium aquarum usu dehortatur, quo pertinent paræneses quædam, quas *Baughinus de aquis medicatis* intermiscet & quas *Sebizius* in *Widerlegung der Mißbräuche der Sauerbrunnen* sparsim profert. Quibus singulis vero documentis commonstratur, quomodo fontes tales idoli characterem tueri queant, quæ in genere velut ex Historia facti recensere placuit. Paucis vero licebit etiam introspicere in diffusum illum usum & abusum harum aquarum, de quibus loquimur, specialiozem: Quid communius est, quam cum thermis *Sterilitatem*, tam in masculino quam in sequiori sexu referare & curare velle; unde subito honoratiores fœcundum matrimonium optantes, ad hæc balnea

ablegantur, licet minor numerus de salutari effectu gloriantium, qui illuc emigrarunt, subjectorum reverti soleat, ubi nonnunquam morales magis rationes advertendæ erunt, quam ullæ physicæ: quare non indiscretim aquas has pro sterilitate tollenda commendandas esse judico, licet non penitus denegem, quod quandoque, licet rarius, thermæ per suam physicam causam fœcunditatem conciliaverint, relaxando magis, quam roborando, in fœmellis præcipue partes gestationi fœtus dicatas, quæ antea strictiores atque arctiores exstiterunt; roborantem enim virtutem à balneis talibus arcessere, frustraneum laborem esse crediderim: quæ relaxatoria virtus etiam in masculis consideranda erit, qua genitales partes aptiores redduntur ad spermatis justam depositionem, secretionem, & secessionem; quamvis hic non flaccida relaxatio intelligenda sit, sed iusta partium genitalium amplificatio, permeabilitas & apertura. Cum vero diagnosi hujus circumstantiæ maximopere sæpe lateat, & non nisi in effectu compareat, ita usus thermarum in hoc statu, ut & in aliis multis casibus, recte referente *Wedelio*, empiricus plurimum est, & ratione destitutus, de qua Germani dicunt, *hilffts so ist's gut, hilffts nicht, so fangs doch nicht schaden*, si-ve so muß man was anders versuchen: quapropter in hoc vulgare thermarum idolum, nulla ratio ad artem referenda, sed mere physica, aut plurimum talis, jus quoddam habet, nisi fides & fiducia si-ve credulitas & superstitio hunc defectum supplere deberet: possunt tamen commodè numerari quotquot subjecta antehac sterilia ex thermis fœcunditatem reportaverint, ubi tamen nequaquam contemnenda est illa *Plateri* observatio, quod thermæ quædam in quibusdam etiam sterilitatem concitaverint, quare undique harum discretus, restrictus, & prudens usus commendandus est: quantum vero unquam commodi masculi è thermis acquisiverint, sane non multum liquet, & rariores sunt observationes, quas eximie jactare non proficiet. Tanto magis vero multo iudicio & magna circumspectione opus est, in inquirendis thermarum & acidularum principiis, an nimirum prodige de sulphureo aut aluminoso, Vitriolico, martiali & calcareo participant, quæ cum repellentem magnam, iniquam & suspectam vim habeant, tunc ab iisdem potius abstinere expediet, in quibusvis affectibus. Magnum porro idolum

lum constituunt thermæ in affectibus *spasticis*, præprimis exter-  
nis *Arthriticis*, *Ischiadicis*, *Podagricis*, *cruralibus*, *varicosis*, *Coxen-*  
*dicis* aliisque, ubi *primo* notandum, quod non omnes thermæ his-  
ce affectibus conveniant, *secundo* quod licitæ thermæ non omni-  
bus subjectis conveniant, *tertio* quod non indiscreto tempore con-  
veniant, *quarto* quod non semper conveniant, *quinto* quod rarius  
profint, frequentius vero obsint, *sexto* quod facilius alias suspe-  
ctas & iniquas consecutiones inferant, *septimo* quod non omni  
horum affectuum gradui quadrent; unde non male accuratiores  
Practici monent, quod in confirmatis, habitualibus, hæreditariis  
Chronicis hisce morbis, quod in Podagra jam nodosa, varicosa,  
& Oedematosa plane non profint, sed potius noceant: ita apæacticum  
esset, si in hisce affectibus ad hoc idolum indiscretim confugere  
velimus: ubi sane multum involvit, illud practicum postulatum,  
quod præmissa præmittenda omitti non debeant, si thermarum  
usus forte conceditur, etiam in hisce de quibus loquimur affecti-  
bus: dum non sufficit solum suspecta salia & aculeos exturbare, sed  
alios dignos etiam respectus & circumstantias, Temperamenti, æ-  
tatis, sensibilitatis personalis, morum, consuetudinis, plethoræ,  
evacuationum spontanearum, Diætæ, morborum prægressorum &  
plurium aliarum, prudenter observare, multo numero proficiet;  
ubi minime iterum prætervidenda est solertiorum & circumspe-  
ctorum quorundam Practicorum observatio, qua thermas in affe-  
ctibus spasticis ita commendant, ne cum illis motus hi ad interio-  
ra pellantur, quapropter *Sennertus* horum fontium cautum usum  
in ejusmodi morbis injunxit: alias quidem à thermarum inconfi-  
derato usu in prædictis affectibus, duplex hic effectus provenire  
solet, partim, ut spasmi tales plane retropellantur, qualem histo-  
riam allegat *Lebenwaldt in A. N. C. Decuria 3. Anno 2. obs. 115.* par-  
tim ut spasmi quidem cedant sed vel stupor partis, vel paralyto-  
deam mutatio superveniat, vel denique ut Oedematosi affectus ac-  
cedant, ex quibus prior effectus in junioribus, posteriores vero in  
paulo adultioribus contingere solent: habent interim thermæ non  
largiter aut crasse sulphuratæ, neque multum aluminosæ, usum  
quendam in hisce morbis, sed admodum restrictum & circumspe-  
ctum 1) quando subjecta mediocriter spongiosa sunt, 2)  
quando molesta plethora remota est. 3) Quando adhuc in  
agi-

agili vitæ genere constituta sunt subjecta, 4) quando ætate adhuc vegeta fruuntur, 5) quando alia vitia atque labeſ interni Corporis abſunt, unde recte *Blaw in A. N. C. Dec. 3. Anno 7. & 8 obſ. 96.* nocivum thermarum uſum in Arthridite, cum aſthmate conjuncta deſcribit, & profert. 6) quando hæ aquæ non nimis diu, neque nimis frequenter adhibentur 7) quando reliquæ excretiones legitime ſuccedunt. 8) quando diætâ & regimen juſtum una ſervatur; ſub hiſce & variis aliis circumſtantiis thermarum uſus in ſpaſticis affectibus admitti poteſt. Quod concernit illa teſtimonia, quibus harum aquarum utilitas in podagra confirmari videtur, ſane eadem multis deſideriis & quæſtionibus, verius æquivocationibus, ſunt expoſita, dum dolores podagrici quidem remittere poterunt, quam vero remiſſionem multoties ſiniſtri alii eventus & ſuccellus inſequi ſolent, & ſi nullus alius ſuſpectus affectus, tamen communiter ſtupor ille ſupervenit: als wenn der Fuß erböllt, oder eingekſchlaffen wäre. Unde in multis talium obſervationum adhuc defectus quidam occurrunt, dū morbi quidam pro arthriticis, hydropicis, Cachecticis, phtificis, &c. ſupponuntur, quales tamen non ſunt; qui propterea emendandi ſunt, antequam illis ſubſcribere integrū foret; ſimili modo paſſim thermæ & acidulæ idolum quoddam conſtituunt in affectu *hypochondriaco*, qui totus communiter obſtructionibus inniti creditur, unde vulgo concluditur, quia hiſce aquis ſal quoddam reſerans, aperiens, & abſtergens adſcribitur, ita per ſuppoſitam & effectam hanc rationem morbum talem curare debent: quamquam vero acidulæ non paucam diluentem qualitatem habeant, minime tamen ab iisdem altera adſtrictoria efficacia ſeparari poteſt, niſi ex acidularum ingurgitatione, primæ viæ ita offendantur, ut natura vomibundos aut alios excuſſorios motus inſtituat, eoque ipſo Corpus ſuum ab inconvenienti tali remedio liberare labore, ut ita per accidens poſthac vena portæ cum ſuis propaginibus, dependentiis & connexionibus concutiantur atque in illis & circa illas occurrentes ſtagnationes diſcutiantur & diſtribuantur, qui effectus deinde minime directæ qualitati acidularum assignari poteſt. Si unquam vero vel thermæ vel acidulæ in hoc affectu profecerunt, ſane hæ circumſtantiæ communiter etiam occurrere, quod nimirum ſubjectum adhuc vegetæ ætatis & acti-

activitatis fuerit, quod per iter quoddam susceptum ad thermas & acidulas migraverit, adeoque sedentarium vitæ genus in mobile, quin etiam regionem & aerem, mutaverit; (quemadmodum & hoc in genere valet, quod multoties iter susceptum & peractum plus præstiterit, in alicujus affectus cura, quam thermæ & acidulæ ipsæ,) quod malum non profundas radices egerit, quod una acidulis convenientibus utatur, siquidem notum est, quod quædam talium aquarum crassiores, crudiores & fortiores sint, aliæ mediocres magis & mitiores, denique quædam debiliores atque inertiores: ex quibus fortiores in sensibilibus affectibus & subjectis vix consulti usus sunt, debiliores vero non nisi oppletiones inconvenientes, flaccescentias, flatulentias, cardialgias aliosque malos effectus inferunt: unde etiam ratione hujus circumstantiæ prudentia & judicio opus est. Interim ubique in hoc etiam morbo prospiciendum, ne viscera abdominis aliquo suspecto infarctu, induratione, obstipatione, aut actuali Scirrho laborent, alias aquæ tales positive magis perniciosæ existunt, in quo plurimi practicum non dissentiunt; indiscretim vero has aquas in hoc affectu adhibere velle, ut Herculeum auxilium, æq; esset, ac tempus & sumptus frustra dispergere, & dilapidare. Et quæ vulgo de obstructionibus finguntur, & supponuntur, adeoque de thermarum usu, in traditis ejusmodi obstructionibus proferuntur, multam fidem requirunt, quoniam persuasiones tales multis æquivocationibus subjacent, quamvis Thermarum usui in ejusmodi dispositionibus magis fidei liceat, dum acidulæ in prædictis viscerum obstipationibus, magis nocivæ existant. Non raro fontes hi salutiferi in *Calcalosis* affectibus deprædicari solent, à circumspectis vero Practicis, sub multa quandoq; limitatione; quantumvis attenta experientia manifestè confirmat infelicem applicationem harum aquarum, in completo calculo renali, ut non raro suspecta, quin lethalia urinæ vitia aut hectici effectus citius atque facilius accedant: quod vero reservatas utilitates thermarum concernit in calculo, ita illæ sunt dispositæ, ut generalem applicationem merito respuant, quamvis in simplicioribus urinæ vitiis paulo magis conducant. Thermarum & acidularum usus, & deprædicatio in affectibus *Cachecticis*, *Cacochymicis*, *hecticis*, *hydropicis*, *phtisicis*, quin *asthmaticis* evilevit jam jam inter accuratos Practicos, unde prædictus *Blavv loco citato* commonstravit, usum thermarum lethalem in hydrope; quo pertinet observatio *Harderi* 180. dec. 1. an. 3. cum scholio, qua indicat quomodo

do acidulæ in dispositis, hydropem accelerant; quin ipse luctuosus effectus & eventus abunde comprobat, quomodo Cachectici multi ad thermas & acidulas migrantes, vel Ascitici, vel Oedematosi redierint, aut quomodo hydropici penitus succubuerint, & perierint. Præterea Thermæ cum primis fœminis male *menstruatis* commendari solent, quas vero, experientia teste, facilius ad Cachecticos affectus disponere solent, tanto citius vero, aut certius, si nulla alia auxilia in usum trahuntur: si vero venæ sectio, aliaque convenientia una adhibentur, ut vulgo commendatur, vix thermis opus erit: acidulas vero in ejusmodi affectibus adhibere velle, non modo æque esset, ac rem dubiam experiri, sed & periculofam plane tentare: quod enim de thermarum usu in hoc statu prædicatur, qui in remollitione viarum consistere creditur, illud rationabili conceptui contrariatur, dum menses minime per nudam viarum relaxationem provocari possunt, quo loco vero magis proficerent, si sub forma pediluviorum adhiberentur, aut mediocrium infessum; generalia enim balnea, nihil quicquam ad hos affectus conferunt, nisi ut ad generales Sanguinis commotiones orgasticas disponant; quo pertinet exemplar quod *Hildanus* de Thermis Leucensibus profert, de Sphacelo in pede ex inconvenienti usu aquæ cujusdam medicæ. In *febribus intermittentibus* sunt qui Thermas æque ac acidulas laudant, quasi efficaci absterfitorio usu, primas vias repurgent: utinam vero hoc fideliter perficerent, neve vel affectas partes tono suo justo atque convenienti destituant, neque illis majorem strictionem inferant, adeoque alios pravos effectus concitent, neque denique easdem partes onerent atque enervent: unde iisdem in febribus hisce uti, non indiscretim expedit, nisi aliquot necessaria excretiones præcesserint, viæ non nimium cum materia febrili oppletæ sint, & subjecta ægrotantia adhuc integræ activitatis existant, quamvis consultius sit, ab aquis hisce abstinere. Ad *biliosos* affectus non male acidulæ temperatæ commendantur, magis tamen præservatorio, quam ullo curatorio fine, præcipue si subjecta temperamenti una Sanguinei, aut phlegmatici fuerint, siquidem acidulæ, imprimis subjectis eminenter sanguineis magis conducunt, quam Cholericis & Melancholicis, in quibus ultimis ad firmiores obstipationes, strictiones, & incarcerationes ansam præbent, imo sensibiles suspectas & molestas turbas, in abdomine & excretionibus tum alvinis, cum etiam diuræticis præjudiciosas concitant.

citare solent; minime vero in citatis affectibus, excretiones bilio-  
sas negligere, sed potius easdem quovis modo promovere expedit,  
ne ex incongruo acidularum usu præprimis fortiorum, icterici,  
hectici, hepatici, & Cachectici affectus oriantur: uti inter alios be-  
ne monet *Lysterus de fontibus medicis*. Non desunt, qui ad *con-*  
*vulsivos* morbos hos fontes eximie commendare sciunt, imprimis  
vero Thermas, de quarum salutari efficacia passim inter Practicos  
exempla quædam, quamvis rariora prostant: subest vero hæc animi-  
adversio tenenda, quod in hisce convulsivis motibus thermæ com-  
muniter, ut extremum atque ultimum adminiculum & refugium  
laudentur, & allegentur, quæ si exoptatum effectum non tulerint,  
fere omnis reliqua spes cadit, pauci vero tales ægrotantes gloriari  
possunt, de salutari & constanter utili effectû: non desunt etiam  
contraria documenta, quomodo ejusmodi balnea in convulsivis  
morbis adhibita, ad paralyticos, suffocativos, imo plane ap plecti-  
cos affectus disposuerint: unde iterum usus harum thermarum in  
convulsionibus empiricus plurimum existit. *Confer. de thermarum*  
*usu in convulsione Reiselius dec. 2. Anno 9. obs. 14.* Thermæ ut  
ad *Hæmorrhagias* curandas nihil conferunt, verius vero & facilius  
exacerbandas & provocandas disponunt, ita acidulæ potius ad eas-  
dem commendari solent, quæ ex hypothesi fibras roborare, Sanguini-  
nis Orgasum lenire, & quid non aliud præstare debent; ast si quid  
etiam eadem conferunt, & contribuunt, instabile certe est, dubi-  
um, infidum minusque durabile, ita, ut recurrente annuo tempo-  
re, denuo hæmorrhagiæ, & immodestius & contumacius revertan-  
tur, imo rebellia & suspecta alia Symptomata una in consensum tra-  
hant; unde potius & scientiæ & conscientiæ suæ consulentes, se-  
curiorem, efficaciorẽ, & certiorẽ viam in medendi hæmorrha-  
giis methodo ingredi & insistere decet, uti illud etiam commenda-  
vit *Peyerus* qui infelicem usum Badensium aquarum in mensruis  
excedentibus observavit, confer. *Wedelius de thermis*. Non placet  
illam observationem reticere, quomodo acidularum fortius vitrio-  
licarum, tanto magis martialium (cum cupreæ & hominibus &  
brutis inimicæ existant) proxime post enormes & prodigas hæmor-  
rhagias adhibitarum usus, ad hecticos, phtisicos, Scirrholos in ju-  
nioribus, in adultioribus vero subjectis, quæ antea spongiosi & hu-  
midi temperamenti fuere, ad Anasarcodes, Asciticos, Oedema-  
tosos, quin etiam cum tempore hecticos effectus disponat; unde

hæc prava confectaria evitantes, maximam circumspeditionem applicare debent, ne vulgaribus judiciis assensum præbeant, & hoc idolum, de quo loquimur, credule venerentur. Quid conferant Thermæ & Acidulæ ad diversas *Congestiones*, ita dictos decubitus humorum ad certas regiones, aliaque molimina hæmorrhagica, facile apparebit, modo attentio, omni præjudicio vacua, adhibeatur: non raro in hisce affectibus commendantur tales aquæ, sed non ita frequenter salutare & efficaces in iisdem deprehenduntur: quod enim thermas attinet, eadem facile ad reerudescentiam harum congestionū disponunt, (si in universali balneo adhibentur, quamvis embrocationes magis huc conferant) dū non modo partes relaxantur, & ad admittendū copiosorem humorum influxum aptantur, sed etiam dum ipse sanguis extra ordinem commovetur, & impellitur, ut utrisque concurrentibus, facilis sit relapsus in antiquum malum. Acidulæ vero mitiores paulo securius in hisce affectibus concedi possunt, præprimis in subjectis spongiosioribus, in quibus viis etiam, congestionibus patentibus, strictionem mediocrem conciliant, Sanguinem nimis fluxilem temperant, organica apospasmata ad faciliorem secessionem & excretionem disponunt, adeoque non contemnendam efficaciam & utilitatem largiuntur. Minime vero præstat easdem magna copia ingurgitare, aut secretionem & excretionem ordinarias negligere, nedum Sanguinis præservatorias emissiones omittere, sed hisce & aliis circumstantiis necessariis tempestivè & prudenter indulgere & prospicere; debiles vero acidulas in hisce affectibus adhibere, non proficiet, sed potius variis turbis circa hypochondria & primas vias ansam præbebit. Ad *Catarrhos* magno passim titulo, tanquam idolum commendantur, Thermæ & acidulæ, unde *Schneiderus de Catarrhis lib. 4. Cap. 1.* peculiari studio de hoc negotio disseruit, sed laudantur hodie in his affectibus ab his, culpantur ab illis; dolendum vero est, quod fere tota illa physica theoria, ex qua hi fontes laudari solent, infirmo & fragili fundamento innitatur, & quam male utilitatem harum aquarum commendent particulæ, figuræ, salia, referantia, roborantia, nervina, solventia &c. Vix interim quædam, ne dum multa testimonia occurrent, quæ comprobare possint eminenter utilem virtutem horum fontium, in Catarrhis, inter alias vero, Carolinæ Wisbadenses Schwalbacenses, Teplicæ thermæ ad Catarrhos ab *Andernaco, Payero, Gæbelio, Strobelbergero, Deodato &c.* commendantur, ast vix consultum fuerit eas-

easdem indiscretim usurpare velle, sed potius observare expediverit, circumstantias temperamenti, ætatis, sexus, sensibilitatis personalis, prægressorū morborum, evacuationum aliarum spontanearum &c. quicquod ipsarum etiam aquarum illarum medicarum, ne indifferens usus finistrum, loco salutaris, inferat, effectum, quale in ex usu thermarum Leucensium in Catarrho descripsit *Hildanus Cent. 5. obs. 82. & Cent. 6. obs. 93.* Quod si vero ejusmodi Catarrhi secessionibus illis innitantur, quæ ex congestionibus Sanguinis ad diversa loca oriuntur, acidularum usus in aptis subjectis non erit contemnendus, quamvis Thermarum applicatio in illis casibus non ita feliciter spei respondeat, nisi ex aliis quisquam Wisbadenses, Carolinas, & Swalbacenses seligere velit, tanto magis, si thermæ leviter sulphuratæ, modeste etiam bibuntur, & reliquæ secretiones & Excretiones dextrè promoventur. In aliis *pectoris affectibus* sive *scirrhis*, sive *congestoriis*, sive *asthmaticis*, sive *ulcerosis*, sive *spasticis*, quanquam inter varios ad Thermas & acidulas tanquam ad idolum confugiatur, attamen multa cautione opus est, si enim aquæ tales fuerint largiter sulphuratæ, omnino in illis affectibus nocent, teste experientia, & ex hac notante *Sommero*; si cum multo vitriolico principio refertæ fuerint, positivè noxam pariunt, referente *Hildano* & consentientibus multis aliis; si uberius aluminosæ extiterint, plane non conferunt; de acidulis attestantur *Heinricus ab Heer, Bauhinus, Sebizi* aliiq; , quod ad defluxiones tales catarrhales disposuerint. Quod porro *paralyticos* affectus concernit, in quibus multi tales fontes, ut sacra anchora, celebrantur, præcipue largiter sulphurati, aluminosi, & vitriolici, illico notandum, quod, si tempestive tales aquæ in usum tractæ fuere, effectus quandoque salutare ediderint, minus vero si serius adhibitæ, & si quæ debiliores aquæ usurpatæ fuere, non modo nihil profecerint, sed & alia suspecta symptomata induxerint: magis vero hîc thermarum efficacium moderato usui indulgendum erit, quam acidularum ordinationi inhærendum; abstinendum vero, quod iterum indicandum esse censeo, ab inertium aquarum usu. Quo loco non oblivioni tradenda est illa commendatio, quomodo ipsæ aquæ tales examinandæ sint, an tantarum adhuc virium existant, ut huic affectui prodesse queant, siquidem quædam tales aquæ, per initia satis efficaces existunt, quæ vero cum tempore debiles & fatuæ evadunt; ut propterea peritis medicis, ejusmodi aquis prospicientibus

bus, hæc commendatio etiam committenda veniat: siquidem experientia teste, ad tales motuum defectus tempestivæ curandos, quasdam Alsatia & Austria thermas, profecisse constat: ex singulis vero fontibus talibus, talem medelam sperare velle, & indifferenter illam exspectare, frustraneum omnino esset, siquidem iterum experientia teste, debiles valde tales aquæ Paralyfin in Apoplexiam convertere, aut in ariduram aliosque perniciosos eventus mutare solent. Vulgo etiam in re medica occurrunt illæ narratiunculæ, atque persuasiones de *uteri intemperie*, & imbecillitate *frigida*, ad quam etiam familiariter Thermæ, ut idolum laudari solent: sed sane nondum rationabiliter constat, obscura illa intemperiei enuntiatio & declamatio, unde cum metaphysicam magis oleant hæc problemata, merito etiam hanc indicationem dubiam & fallacem æstimo. Ex eodem fundamento admodum fragili & imbecilli, commendantur magnis nominibus thermæ, ad *fluorem album*, præcipue benignum, quæ vero an unquam constantem, certum, solitarium & fide dignum effectum præstiterint, merito contra *Riverrium* quærendum est, ad minimum externum talium usum huic affectui tollendo, nunquam secure satis fecisse constat. Similiter persuasionis magis fœtus est, quam indubiæ experientiæ eloquium, quod thermæ unquam ita partum facilitaverint, ut illis unica hæc laus tribui possit; à qualibus traditionibus merito abstineo, ni credule assentire placuerit, illis effoeminatis judiciis, quasi partus optime per emollientia & relaxantia promoveri possit, quæ theoria est multoties leporina, v. g. quando pellis leporis in lacte decoquitur, & abdomini applicatur, ubi multa per accidens iterum fiunt, quæ hisce sterilibus adminiculis assignantur; In *uteri* mitiori *procidencia*, seu ligamentorum relaxatione tolerabiliori, thermas tempestive adhibitas, plus quam aliud quoddam inventum, profecisse experientia approbat, indiscretim vero has aquas, ad affectum talem ordinare velle, iterum empiricum, & communiter frustraneum opus esset. In mitioribus *externarum* partium *doloribus*, sive *spasticis*, sive *lancinatoriis*, vulgo etiam thermæ commendantur, neque desunt varia documenta, cum quibus salutaris illarum usus confirmari potest, sed sint tales dolores mediocres, alias si completi & tenaces & vehementes spastici fuerint, tunc eadem censura de illis valet, quam antea modo proposui: attamen si Thermæ in hisce doloribus proficua esse debent, interest, ut præserva-

fervatorio magis scopo adhibeantur, aut declinante exacerbatione ejusmodi dolorifici affectus, admittantur. In singulis *acutis* atque *inflammatoriis* affectibus, hi fontes magis nocent, tanto magis vero in *peracutis* & *malignis*, in quibus singulis, nullam rationabilem indicationem inveniunt. In *fluxionibus serosis* *Thermæ* ancipitis & frequentius sinistri usus existunt, acidulæ vero convenientes modestè & præservatorie in aptis subjectis usurpatæ paululum magis conducunt. Valde *plethorica* subjecta, tanto magis ad moderatas, spontaneas & salutare hæmorrhagias assuefacta, præstat cum *Thermis* atq; acidulis non onerare, sed ante usum harum aquarum, hanc incommodam Sanguinis abundantiam remove & deinde judicare, an harum aquarum usus adhuc necessarius existat. Vulgo etiam *thermæ* ut & acidulæ ad generales scopos medicos allegantur, præcipuè vero ad diversas *evacuationes* & quidem *Cataracticas*, seu alvum moventes & abstergentes: sed si dicendum, quod æquum & verum est, sunt certe talismodi repurgationes non tam molestæ, quam dubiæ, quemadmodum non modo ventriculus & intestina ab ejusmodi aquis incommode molestantur, sed & motus in hisce visceribus procedentes in variam ataxiam conjiciuntur; neque placet hic auscultare, æquivocæ illi traditioni, & declamationi de martis virtute aperitiva, & evacuante, quæ uti *Chymix* rationali, ita etiam experientiæ solidæ atque prudenti totidem contrariatur. Diuresin *Thermæ* & acidulæ facilius movent; sed hic prudentia & judicio opus est, in discernendis affectibus, qui has aquas ad diuresin excitandam tolerant. *Thermæ* præcipue Sulphuræ efficaciter, non raro, etiam immodeste diaphoresin promovent, quæ evacuatio præ reliquis securioris & utilioris imitationis est, modo recte dirigatur & ordinetur. In sensibilibus etiam subjectis has aquas vomitus etiam causare, tanto magis per initia usurpatas, experientia attestatur, qui vero communiter malæ fidei existunt. Absit modo detestandus ille indifferentismus, in usu & commendatione harum aquarum, ad diversas tales evacuationes. Tempus & præfixum spatium non permittunt, ut latius de hoc negotio differam, uti quidem promereret hinc brevissimis de usu harum aquarum ad internos affectus egi. Paucis adhuc indico, quod *Thermæ* imprimis nitrosæ, & parcius sulphuratæ ad tumores frigidos magis, quam Sanguineos, contumaces, discutiendos & resolvendos, non raro profecerint; in sangu-

gvineis & sensibilibus vero externis affectibus vix sæpe, nedum plurimum, aut rarius conduxerint, frequentius vero nocuerint; Ulcera ex causis internis dependentia, neque Thermæ neque Acidulæ secure & efficaciter curant, nedum alia constanter aut fideliter emendant, & corrigunt nisi thermæ vel una interne usurpatæ, vel ulcera mitiora & magis superficialia fuerint: quo pertinent Thermæ remissius sulphuratæ & salinæ, non repellentes, aut valde adstringentes. Contracturas Thermæ persæpe sustulerunt, vix ita frequenter ariduras: ubique vero respicere convenit ad antecedentes, prægressas, occasionales & concurrentes causas, in individuis ad affectus tales disponentes. Non licet ultra metam discurrere, unde paucis hisce delineavi magnum illud idolum horum fontium salutarium, quantum Epistolii spatium concessit: multa de hac materia dici possent, sed in omnibus allegatis circumstantiis succinctum me obtuli. Tandem Te alloquor *Nobilissime Domine Candidate*, cujus causa hæc præfari lubuit, qui egregia atque solida Dissertatione Inaugurali Fontium salutarium usum & abusum Medicum commonstras. Est hæc dissertatio optimum documentum, rationabilis illius scientiæ Medicæ, cui addiscendæ & acquirendæ huc usque incubuisti. Non poenitebit Te, ut nunc, ita cum tempore, hæc addidicisse & è fluctibus steriliū & vacuarum persuasionum & opinionum medicarum emeruisse. Optime sane fecisti quod in re medica meliorem & utiliorem semitam ingressus fueris, neque dubiis & fallacibus suppositionibus indulseris. Exaudivisti sobriam hanc & rationabilem medicinam, tam publicis, quam privatis, & privatisissimis studiis, possibili cura & attentione. Annuat divina clementia, quod ex toto animo voveo, hisce Tuis scientiis, confirmet & augeat easdem perpetuis salutaribus progressibus & incrementis. Excutias virili animo imposterum adhuc proprio studio, labore & vigilantia, omnia illa offendicula, quæ salutarem medicinam premere & dehonestare possent. Prosequere has vias, quas ab Excellentissimo Domino Præsidente Tuo & quantisper a me præmonstratas observasti, ita nullus dubitavero, quin omnia salutaria & necessaria ex votis cedant. Jubeat altissimus Deus ut omnes futuri Tui honesti conatus, felices semper sortiantur & successus & eventus. Affulgeat, ex jubare divinæ gratiæ, Tibi perpetuo omnis animi & Corporis integritas, firmitas, præsentia, & sanitas; Cedant hæc dignitates, quæ Tibi conferuntur in gloriam altissimi, emolumentum proximi, & Tui ipsius, commodum atque honorem, certum fidum atque perpetuum. Gratulor propterea de hisce honoribus; gaudebo etiam, uti iterum obtestor, & animitus Tibi apprecor, si hos honores omnes exoptatæ atque salutares prosperitates, insequuntur. Vale. Dab. VII. Iduum Aprilis A. O. R. MDCCXIII.